

tem alteram, contere simul, irrigans ad solem cum aceto albo dies sex, & postea exiccans pone in fimo bouino, & sine vrantur per dies duos, vel tres, & tollens ab igne inuenies aurum tinctum vt sanguinem: hoc est cinabaris Philosophorum, & æs clarum citrinum. Quid vobis (ait Senior) & multarum rerum syluæ? cum vna sit materia naturalis, & vna natura, quæ omnia superat. Tunc igitur per diuinam aquam solutum & fermentatum, vt fermentum panis, ac deinceps etiam chrysolitho æquis partibus cōtrito & aqua soluto, secundum naturam suam per fluxionem, tingit omne corpus. Zozimus ait: Sol naturalis per chrysolithum spiritualis factus, secundum naturam tingit. Argentum etiam si dissoluamus per aquam, & spirituale faciamus per chrysolithum, æs tingit album. Hoc enim etiam aliis verbis dixit. Duæ enim tincturæ nulla alia re inter se differunt, nisi colore tantum: hoc est, vnam & eandem præparationem habent: quia & per diuinam aquam prius cōteruntur, & postea vero per chrysolithum spiritualis medicina fiunt, vnum quodque secundum propriam naturam tingit, sol solem, & luna lunam. Per aquam diuinam intellige visitationem occultoûr. Æthesius lapis igitur cum ære colligatus, & cum oleo raphani reductus, hic beatos Ægypti studiosos reddidit. Arte compositum igitur erigens, ac latentem naturam euocans, per ipsam denique corporum formationes facis, & sic corpora incorporea redduntur, & incorporea corporea fiunt. Si omnia igne attenuentur, & fuligo feratur, erunt varia, & infrangibilia corpora. Laudetur Altissimus.